

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pivm Negotivm In Otio Instantivm Feriarvm Serio Agendvm Fridericianae Prorektor D. Fridericvs Christianus Ivnckervs Medicinae Professor Ordinarius, ...

Juncker, Friedrich Christian

Halae Salicae, [1770?]

VD18 13088068

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-192327



Grauiſſima ac plane notabilis optimi Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti vox eſt Io. III. 6., ita pronunciantis, τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σὰρξ ἐστὶ καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος, πνεῦμά ἐστι. i. e. *quidquid ex carne natum eſt, caro eſt: et quidquid ex ſpiritu natum eſt, ſpiritus eſt.*

Facile vero cuius apparet, duas res his verbis comprehendere. *Primo* enim optimus Seruator de ſtatu aliquo mortalium plane peruerſo ac miſero, *deinde* de meliori pronunciat, in quo illos collocari oporteat, ſi ſalui eſſe velint.

Ad veram autem horum verborum ſententiam perſpiciendam intereſt omnino quam maxime, ad cohaerentiam illorum cum ſuperiori orationis parte probe attendere. Reſponderat ſcilicet Ieſus c. 5. ad obiecta quaedam et perperam a Nicodemo intellecta; *Amen, Amen*, inquit, *dico tibi, niſi quis naſcatur ex aqua et ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei*; quo effato id aperte docere volebat, illam quam ipſe dixerat natiuitatem, de qua infra agendi locus erit, omnibus omnino plane neceſſariam eſſe, ſi conſortes regni Dei fieri velint. Quo igitur omnibus neceſſitatis huius ratio appareret, ita pergit, *quidquid ex carne natum eſt, caro eſt*; ex quo perſpicuum fit, his ipſis, quae tractare inſtituimus, verbis cauſam neceſſitatis eorum contineri, quae c. 5. dicta fuerant. Quibus praemunitis ad rem ipſam accedimus, in veram grauiſſimae vocis huius ſententiam inquiſituri.

Primo itaque, vt ſupra monuimus, optimus Seruator de ſtatu aliquo mortalium miſero nos monet, *quidquid ex carne*, inquit, *natum eſt, caro eſt*: quae prima effati huius pars cauſam exponit ac continet, cur qui nondum natus eſt ex ſpiritu, conſors regni Dei nullo modo fieri queat; cauſa ſcilicet in eo ponitur, quod caro ſit ac maneat, quoad non ex ſpiritu naſcitur. Quo vero planum fiat, quid Seruator his verbis dicat, primo videndum eſt, quid ſit, *ex carne natum eſſe*; *deinde* quid ſit, *carnem eſſe*.

Quod igitur ad *primum*, natiuitatem ſcilicet ex carne, attinet, ſatis apertum neminique dubium eſt aut eſſe poteſt, natiuitatem naturalem intelligi, per quam omnes omnino homines primo oriuntur, ac vitae et naturae humanae participes fiunt. Reſpicit enim Seruator ſine dubio illam natiuitatem, quam Nicodemus, verbis Seruatoris de longe alia natiuitate loquentis perperam intellectis, c. 4. minus ad rem, de qua agebatur, apte commemorauerat; *quomodo poteſt homo, inquit, ſenex exiſtens naſci? num poteſt in uterum matris ſuae iterum ingredi et naſci?* Ex comparatione obiectionis huius ſatis inconcinnae cum reſponſione Chriſti ad illam perſpicuum plane fit, *natiuitatem ex carne* quam Dominus appellat, et *natiuitatem ex utero matris*, quam Nicodemus dicit, vnā prorsus eandemque rem eſſe, ac Dominum proinde Nicodemi errorem, correcturum hoc dicere velle; ſi vel maxime fieri poſſet, quod tamen cogitare abſurdum eſt, vt homo iterum in uterum matris ingredi et iterum ex illa naſci poſſet, id tamen illi non plus

plus ad rem de qua mihi sermo est, ad ingressum scilicet in regnum Dei, profuturum esset, quam profuit prima ex matre natiuitas, quae ipsi primum vitam dedit: cuius rei ratio in illo sita est, quod quidquid siue primo, siue iterum siue tertio ex carne nascitur, per illam natiuitatem ex se nihil adipiscitur aut adipisci potest unquam, quo idoneum et aptum fiat ad ingressum in regnum Dei; sed ad illam rem efficiendam longe alia ac sublimiori natiuitate opus est. Haec, ni fallimur, plana et aperta sunt, vt quid generatim natiuitas ex carne sibi velit, extra omnem dubitationem positum sit; accedit vero ipsa Ioannis interpretatio more suo ipsius Domini verba frequentantis et explicantis, Io. 1, 13.

Hoc itaque constituto restat tamen, vt de his verbis, *quidquid ex carne natum est*, adhuc nonnulla obseruemus. *Carnis* primo nomine igitur homines hic dicuntur more etiam alibi in sacris litteris vsitato satisque noto, vt in hac breuitate nostra exemplis in medium proferendis supersedere possimus, et modo hoc adiungamus, hanc hominum appellationem respicere simul statum hominum praesentem, illamque naturae imbecillitatem, quae causa tot miseriarum est, quibus cum omnibus omnino hominibus iam conflictandum est, et quos nemo mortalium iam effugere potest, quoniam ipsa vniuersali naturae humanae constitutione nituntur. Cum vero nomen carnis in oratione quae natiuitatem hominum naturalem tractat ponatur, spectantur simul illi loci, in quibus vir et femina ad procreandam sobolem coniuncti *caro vna* dicuntur, vt proinde sententia verborum, *quidquid ex carne natum est*, haec sit, quidquid ex coniunctione viri et feminae, per quam vna caro fiunt, natum est. Omnes ergo omnino homines hac Seruatoris oratione contineri, qui ex viri et mulieris coniunctione nati sunt, nullo plane excepto, plane constat; haec enim communis omnium mortalium nascendi fors est: ex quo per se consequitur, illud quod Dominus de omni ex carne nato pronunciat, ad omnes omnino homines quoque, nullo prorsus excepto pertinere, ac proinde in omnes omnino dici ac cadere, *quod caro sint*.

Deducimur itaque iam ad hanc ipsam funestam certe et mali ominis appellationem, visuri quid hoc sibi velit *carnem esse*. Neminem tam hebetem et obtusi pectoris esse censemus, vt in eam cogitationem veniat, Christum hoc affirmare ac docere velle, natum quemuis ex hominibus hominem quoque esse; id enim hic docere nihil attinebat ac satis constabat: sicut etiam illud, *hominem esse* per se ex regno Dei non excludere, quin potius homines esse et manere, qui consortes regni Dei rursus fieri debeant. Manifestum itaque est, *carnem esse* non ad ipsam humanam naturam per se pertinere, sed statum illius et conditionem moralem significare, quae iam ita comparata sit, vt quoad talis maneat homo, qualis iam natura est, in regnum Dei introire nequeat. Cum itaque *carnem esse* ex cohaerentia et consilio sermonis Domini idem sit, ac eo statu animi, vitae et actionis esse, in quo homo in regnum Dei intrare nequit; facile apparet inquirendum esse, quid sit *in regnum Dei introire*, cuius rei facultatem et spem Dominus homini, quoad caro est, plane denegat et praecidit. Si enim cognouerimus, quam in re introitus ille ponatur, facile erit ad intelligendum, quid sit *carnem*, id est ineptum plane ad introitum illum esse.

Introire igitur in regnum Dei nihil aliud est, quam consortem regni Dei fieri. Regnum Dei vero hic nihil aliud est, quam salutaris ac debita coniunctio cum Deo per et propter Christum, per quam homo rursus Deo et Christo subiicitur ac vivit: ac proinde, si rem paullo accuratius explicare placeat, regnum Dei duo complectitur; *primo* bona certa, salutem nimirum, iustitiam ac vitam humano generi a Christo partam; *deinde* officia ac cultum debitum Deo et Christo praestandum. Quo posito facile apparet, quid sit *introire in regnum Dei*, siue consortem illius fieri; scilicet duo id pariter complecti necesse est: *primo* idem est ac bona illa spiritualia atque aeterna in filio Dei oblata cupido ac grato animo accipere, atque ad se transferre et in illis acquiescere; *deinde* Deo se plane subiicere, eum sancte venerari, seque totum ei tradere et ad voluntatem eius conformare; eo enim si res perducitur, homo rursus ita, ut par est, in ditionem ac potestatem Dei venit, cui per peccatum se subdixerat.

Ipsa Dominus in sequentibus rem ita explicat, duo necessaria esse docens, si homo rursus gratiam Dei inire, in illa manere et saluus esse velit: primo scilicet, ut credat in filium, quo vno efficitur ne pereat, sed vitam aeternam consequatur, c. 16. 18. 36.; *deinde* ut in posterum recte faciat, lucem amet, et in luce ambulet. c. 19. 20. 21. Ad haec igitur Dominus hominem iam plane ineptum pronunciat, quoad non ex Spiritu nascitur. *Carnem itaque esse ex ipsius Domini interpretatione idem est, ac plane carere non solum fide, sed etiam facultate ac voluntate credendi in Christum et in Deum per illum ad salutem, Deumque amandi, colendi, ac praecepta illius ita ut par est servandi: Dominus enim diserte dicit, ὁ δυνάται, non potest c. 5., quo certe non solum actionem rei, sed etiam facultatem ac voluntatem sinceram illius homini nondum renato plane abiudicat, cuius rei vacuitatem scriptura mortem appellat, ducta similitudine a corporis morte, quae in priuatione vitae, id est, omnis facultatis sentiendi et sensui convenienter agendi ponitur. Quae cum ita sint, aliter fieri non potest, quam ut facultates animae naturales, quae tamen per se semper actuosae sunt et manent, ferantur in contraria voluntati Dei secundum legem et euangelium; quae proclivitas ac perpetuus conatus, Deo se opponendi ac deteriora sequendi, *carnis* nomine vna continetur: de quo dubitari nullo modo potest, cum ipse Dominus in ipso hoc notabili sermone de omnibus qui non credunt in ipsum ac proinde nondum renati sunt pronunciet, eos amare tenebras contra vero lucem odisse ac fugere; quae profecto omnia peruersum plane animi statum auersationemque boni, contra vero amorem ac studium mali, aperte declarant. Audiamus etiam Paulum Rom. VIII. 6. 7. 8. *Sensus carnis*, inquam, *mors est*, *sensus Spiritus vero vita et pax*; *eo quod sensus carnis inimicitia est in Deum, legi enim Dei non subiicitur, neque id potest*; *in carne vero existentes Deo placere non possunt.* Ex quibus apostoli verbis palam est, *carnis* nomine cum vacuitatem omnis facultatis ac voluntatis, Deum ita ut decet amandi atque illi se probandi, tum etiam proclivitatem et studium contrarium faciendi, omnino comprehendendi; id quod eo magis attendi meretur, quo certius esse videtur, Paulum hunc ipsum sermonem Domini in mente habuisse, ac*

voca-

vocabula *carnis* ac *Spiritus*, quae valde frequentat et tanquam contraria inter se opponit, ex illo transtulisse.

Ex his itaque omnibus constare satis potest, quid sit *carnem esse*, et quantam hominis nondum renati miseriam Dominus his verbis nobis ob oculos ponat: originem vero illius aperte ex eo repetit, quod quilibet homo iam ex carne nascatur; in ipsa ergo procreationis et natiuitatis praesenti ratione et conditione causam tanti mali sitam, ac proinde cum prima hominis origine in illo inesse docet: ex quo etiam consequitur, malum hoc non male *peccatum originis* dictum esse ac dici, nec recte aut prudenter illos facere, qui cum rem ipsam hoc vocabulo signatam idoneis argumentis destruere nequeant, ad vocabulum tanquam ad scopulum adhaerescunt et propter nouitatem illius in re ipsa offenduntur. Apparet vero etiam simul, quanti momenti haec doctrina sit, et quantopere ad salutem intersit, illam teneri ac defendi; hac enim ignorata, aut quod peius est negata, homo sibi ipse longe alius videtur quam est in oculis Dei, putatque se esse diuitem nullaue re egere, ignorans esse se miserum, et pauperem, et coecum, et nudum. Quam periculosum vero et exitiabile hoc sit, ita in tenebris, id est, in ignorantia et errore versari, ac securum salutis et pacis esse, vbi tamen nulla pax et salus est, ipse Dominus docet, hanc causam iudicii et interitus esse adfirmans. Qui etiam magnitudinem mali huius ignorat, aut saltem de illo detrahit, medicinam quoque veram et vnicam in Christo, aut plane aspernabitur, aut saltem multis modis adulterabit ac salutarem illius usum impedit.

Sed haec sufficiant. Progredimur nunc ad alteram effati partem, quae statum exponit, in quo hominem rursus collocari oporteat, si saluus esse et cum Deo coniungi velit; qua de re Dominus ita pronunciat, et *quidquid natum est ex Spiritu, Spiritus est*. Res ipsa igitur docet, ad duo rursus esse attendendum: primo itaque videbimus, quid sit ex Spiritu nasci; deinde, quid sit Spiritum esse. Quod ad prius attinet, ante omnia constituendum est, quis sit *Spiritus* ille, ex quo nasci oporteat omnes qui ex carne nati sunt, si salutem consequi velint: cum *nasci ex carne* contrarium ponatur *τὸ nasci ex Spiritu*, et *caro* causam efficientem natiuitatis signet; ipsae oppositionis leges postulant, vt *Spiritus* pariter causa efficiens natiuitatis sit et habeatur. Si vero porro quaeramus, quis ille sit *Spiritus*, cui opus hoc tribuitur, friuolum sane esset, de alio quam de Spiritu sancto cogitare, qui cum Patre et Filio toties coniungitur, et in cuius etiam nomen baptizari oportet. Hunc enim Ioannes, cum in euangelio tum in epistolis, frequenter *Spiritum* simpliciter appellat, et sine dubio illum ipsum dicit, quem c. I, 32. in Christum descendisse narrauerat, et quo credentes obliuati, a quo inhabitari ac templa illius esse dicuntur. Natos vero *ex Spiritu*, Ioannes verborum Christi optimus interpretes alibi *ex Deo* appellat c. I, 13. 1. ep. III, 9., eoque planum facit, *ex Spiritu* et *ex Deo* natum esse, vnum idemque esse, ex quo consequitur, Spiritum ipsum quoque esse Deum et ad essentiam diuinam pertinere.

Iam vero inquirendum maxime est, quam in re *τὸ nasci ex Spiritu* ponatur. Magnam quandam et ingentem hominis, qui caro fuit, mutationem et quidem in melius, signari, qua ad ingressum in regnum Dei aptus redditur, alioquin

ad id plane ineptus, res ipsa docet: nec minus id palam est, mutationis illius causam efficientem non esse aut esse posse hominem ipsum viresque illius naturales, sed Deum ipsum s. Spiritum sanctum per certas operationes supernaturales in anima omnibusque illius facultatibus, ita vt mutatio haec fiat quidem in viribus animae illarumque habitu, at non per illas aut efficiendi facultatem in illis sitam. Ipsa comparatio ortus *naturalis* cum *spirituali*, et oppositio causae vtriusque id aperte docet, in eo iam statu hominem esse, quia caro est, vt non plus ad natiuitatem ipsam ex Spiritu per se conferre possit, quam homo cuius ad ortum suum naturalem conferre potest: quemadmodum igitur homo vitam omnem viresque sentiendi et agendi ante per parentes accipere debet, quam ipse aliquid agere potest; ita quoque quilibet ex carne natus vitam ac vires nouas sentiendi et agendi spiritualia, eo quo decet modo et ad salutem coniunctionemque salutarem cum Deo per Christum necesse est, a Spiritu sancto accipere debet. cf. Io. I. 12. 13.

Si de viribus nouis in anima loquimur, nec res nec vocabulum iure cuiquam offensionem esse potest. Quod enim ad rem attinet, sententia non est, facultates animi naturales per se tolli ac destrui, sed per operationes Spiritus sancti emendari, corrigi et ad ea agenda et sentienda aptas reddi, ad quae antea ineptae erant. Et hoc *nouum* quid dicitur apte ad rem et conuenienter, quia antea in ipso homine nec erat nec ab eo effici poterat, sed per Spiritum efficitur. Nec quisquam has appellationes reprehendere potest, nisi ipsam scripturam reprehendere velit, quae toties, quum hanc ipsam rem tractat, *creationem nouam*, *cor nouum* et *spiritum nouum* commemorat, atque id, quod per generationem hanc spiritualement a Deo in homine efficitur, *hominem nouum* appellat, cui *veterem* velut contrarium opponit, qui etiam *caro* dicitur. Vtitur vero scriptura huiusmodi vocabulis ac sententiis grauib. ad grauitatem ac vim rei significandam, falsasque illas ac leues notiones redarguendas, quas homines de re hac habent ac libenter tenent, quasi nimirum id quod regeneratio et creatio noua dicitur, nihil aliud sit quam talis mutatio animi ac sensus, quae in hominis potestate et facultate naturali adhuc sita est, et per quam bonus quidem ciuis, minime vero verus confors regni Dei efficitur.

Liquet igitur ex supra iam prolatis nominibus rei, de qua agimus, quid sit res ipsa, *regeneratio* scilicet; est nimirum complexus omnium illarum operationum Spiritus sancti in anima, per quas nouus homo, nouum cor, nouus spiritus, noua et alia vita efficitur, homoque aptus redditur, vt vitam, iustitiam et salutem in Christo ad se vere transferre, iis cum sua salute frui, ac recte etiam atque ad voluntatem Dei vii possit et velit. Vocatur etiam *viuificatio* et *resurrectio* spiritualis, et est proinde largitio vitae spiritualis; diciturque a Ioanne transitus a morte in vitam, quod aperte illud ipsum est, quod paulo ante ex Deo esse et ex Deo natum esse dixerat. I. Ioh. III. 14.

Sed consultum erit, etiam ex ipso hoc sermone Domini docere, quibus in rebus praecipuae Spiritus sancti operationes consistant, quibus regeneratio continetur. Primum itaque Spiritus sancti opus est, vt statum miserum, corruptum, et quid sit carnem esse iraeque Dei et damnationi obnoxium homini ob oculos ponat, et quidem ita vt credat ipse vere et ex animo, ac sentiat eum dolore malorum horum

magni-

magnitudinem, et quod se ipse plane ab iis liberare nequeat. Ad huiusmodi enim sensum status sui Dominus Nicodemum perducere ac cauere volebat, ne sibi persuaderet, se eo in statu iam esse, in quo consors regni Dei sit. Sensus ergo debitus malorum spiritualium primum est, quod efficit Spiritus sanctus, et quod ad ablationem cordis lapidei pertinet, ut scriptura loquitur Ezech. XXXVI. 26. sicut enim lapis omni sensu ac vi sentiendi seque mouendi prorsus caret, ac mouere volenti mole sua ac pondere renititur; sic animus hominis, quoad *caro est* et manet, omni sensu ac facultate, mala et bona spiritualia ita ut par est, sentiendi et circa illa recte versandi, plane deficitur, contra vero repugnat Deo.

Altera Spiritus sancti operatio, ad quam prima spectat, in eo ponitur, ut hominem ad veram fidem in Christum deducat, ut eum tanquam vnicam salutis ac vitae causam agnoscat, appetat, complectatur, fiduciam in illo ponat atque in illo acquiescat. Hanc enim fidem Seruator aperte in sequentibus postulat, si quis interitu liberari et vitam aeternam consequi, ac proinde consors regni Dei fieri velit. Cum itaque homo per regenerationem ex Spiritu vnice in eo statu collocetur, per quem consors regni Dei sit, per regenerationem ex Spiritu fidem veram in Christum imprimis effici oportere prorsus liquet.

Tertia denique Spiritus sancti operatio eo pertinet, ut homo etiam rursus facultate instruat, Deum et Christum ex vi fidei, per quam amorem Dei et Christi erga nos experitur et se porro experturum esse certum habet, super omnia amandi, venerandi, ac praeceptis illius delectandi eaque studiose seruandi; efficitur simul spes certa ac firma futurae gloriae et haereditatis illius non pollutae nec marcescentis, quae omnia vitae huius mala et incommoda leuat, et tolerantiam aduersorum, et quia euentus ipse expectationem illorum non destituit, sed longissime superabit, saepius etiam gaudium adfert. cf. Rom. V. 5., 2. Cor. III. 16, 1. Petr. I. 6., 1. Ioh. III. 2.

Restat vero etiam, ut videamus, quid optimus Seruator de iis qui ex Spiritu nati sunt pronunciet; *natus ex Spiritu*, inquit, *Spiritus est*. Cum *Spiritus esse* et *carne esse* palam opponatur, facile intelligitur, quae notio huic enunciato sit subiecta; contrariorum enim contrariam esse rationem oportet. *Spiritus esse* ergo, ut rem paucis complectamur, primo idem est ac vitam nouam ac spiritualem habere, ac proinde ad sentiendum et agendum propensum et aptum rursus esse; ipse enim Dominus alibi Spiritum et vitam coniungit, et quid sit illud per hoc declarat, *verba mea*, inquit, *Spiritus sunt et vita*, Io. VI. 63. et Ioannes, ut supra iam obseruauimus, per regenerationem hominem ex morte in vitam venire adfirmat. Sententia ergo verborum Domini est, natus vere ex Spiritu nouam vim vitalem a Spiritu communicatam in se habet, per quam facultate et voluntate instruetus est, Deum et Christum bonaque spiritualia et aeterna a Christo parata, ita, ut par est, aestimandi, amplectendi, fruendi, contraria vero auerfandi: et haec noua vita minime iners est et languida, sed operosa et actiuosa, pugnans contra omnia ipsi aduersa, et enecans operationes carnis, circumspiciens vero et quaerens ea, quibus conseruari et augeri potest. cf. Rom. VIII. 13., 1. Petr. II. 2. Memores ergo probe sunt et esse debent ita ex morte resuscitati, se si rursus secundum carnem vi-


uant,

VIII

vant, rursus morituros, si vero secundum Spiritum viuant, victuros. *Spiritus* porro sunt et appellantur, quod eo iam habitu animi, mentis ac voluntatis sunt, vt non amplius spectent et vt finem bonorum sibi proponant adspectabilia et sensus titillantia, sed inadspectabilia et manentia; haec enim fidei verae natura et indoles est, vt animum a sensibus magis magisque abducat et ad spiritualia et aeterna ferat. 2. Cor. III. 18. Sed haec sufficiant.

Supereſt iam, vt ad Vos tandem se conuertat oratio nostra, *Ciues carissimi*, in quorum maxime gratiam ex veteri more scriptum hoc his diebus emittimus. Videtis scilicet ex haecenus dictis, quantum vestra intersit, duo haec enunciata Seruatoris, quae breuiter illustrauimus, probe perpendere. *Primum* ergo, quod et Vos plane discere ac probe tenere oportet, hoc est, vt agnoscatis ac credatis vere, etiam Vos, quia ex carne nati estis, carnem esse, ac proinde natura in eo statu, in quo salutis ac vitae participes fieri non potestis. Haec ergo doctrinae diuinae pars inter praecipuas est; de qua qui detrahit, nullam illius partem et minime omnium caput et arcem illius de Christo Seruatore integram atque incorruptam conseruare potest, id quod etiam exempla vetera et recentiora satis confirmant. Non sufficit vero, rem quidem scire et defendere, sed id agitur a Domino, vt quilibet etiam de se id sciat atque ita credat, vt et ipse viuo atque intimo huius miseriae suae sensu adficiatur, et ad veram poenitentiam perducatur, sine qua nullum verae salutis desiderium, nedum salus ipsa esse potest. *Alterum* quod ex priori consequitur, hoc est, vt agnoscatis et credatis, mutationem veram status huius miserrimi plane esse necessariam, si salui esse et cum Deo per Christum vnicam ad Deum viam, rursus coniungi, gratiam illius inire et eum recte ac pie colere cupiatis, hanc vero mutationem totam vnice per Spiritus sancti operationes in animam effici posse, cui qui se non permittit, a regno et communione Dei plane exclusus manet.

Ex quo apparet, quam necessarium omnibus donum et inhabitatio Spiritus sancti sit, quem Christus nobis peperit; qui enim Dei et Christi Spiritum non habet, Christi et Dei non est, nec Deus illius esse et se ipsi fruendum dare in Christo potest. Quanto ergo gaudio nobis esse debet, quod Deus tam propensa iam in nos voluntate est, vt donum hoc tantopere necessarium libenter ac paterno animo nobis largiri velit, si in nomine Iesu illum rogemus. Hoc ergo et Vos his diebus agite, *Carissimi Ciues*, accedite ad Deum, misericordiam illius in Christo implo- rate; at vero etiam cauete, ne Spiritui sancto repugnetis, motus et pulsus illius salutare repudiantes, ac conditiones pacis in euangelio Vobis oblatas adspernantes; id potius agite, vt Spiritui sancto obsequentes Christum vere agnoscat et lucremini, vitamque in illo habeatis.



P. P. in Fridericana Cal. Iunii C1810CCLXX.



